1232. Settembre

S.ta Tecla e S.t Giovanni di Torno

Morbio 10 (28)

Anno dominice Incarnationis Millesimo ducentesimo. trigesimo secundo. die dominico duodecimo intrante septembris. Indictione sexta. Dominus donus Georgius de sancto abondio de Cumis presbiter et officialis ecclesie sancte tecle et sancti Johannis de Turno. et filius quondam domini petri bonolgelli de nouezano. nomine et ex parte ipsius ecclesie sive ecclesiarum. Investivit nomine massaricii et locationis Tolandum filium quondam ser petri machi de Turno. Nominatim de medietate unius mansionis sive cassine que iacet in loco et territorio de Turno ubi dicitur Magrenza. Coheret ei a mane cizeti de Turno. et a meridie otti de ambrexio et bertari maci de Turno. et a sero domini martini de sancto benedicto de Cumis. Ita ut amodo in antea predictus Tolandus et sui heredes habeant et teneant dictam medietatem dicte mansionis sive cassine et exinde faciant quicquid facere voluerint sicut de re locata et conducta nomine massaricii. scilicet meliorando et non peiorando ipsam medietatem ipsius cassine sine contradictione ipsius presbiteri nec suorum successorum. et dando et solvendo omni anno pro ficto ipsius cassine solidos duos denariorum novorum. quos denarios debet dari et spenderi in incenso omni anno ad utilitatem ecclesiarum sancti Johannis et sancte tecle de Turno sicut predictus quondam petrus machus iudicavit et statuit sive ordinavit pro remedio anime sue sicut dicebatur. et ita tamen quod neque sacerdos nec aliquis eius successor nec abbas monasterii sancti abondii qui aut pro tempore fuerit possit habere auctoritatem ascendendi fictum nec auferendi ipsam medietatem cassine nec aliendandi ipsam medietatem cassine nec vendendi ipsam. Quia sic inter eos convenit predicti inde hanc cartam fieri rogaverunt ut supra legitur. Actum Turni in curia ecclesie sancte tecle de Turno unde plures carte uno tenore rogate sunt.

Interfuerunt ibi testes Guillelmus filius quondam guidonis soltarii de Turno et petrus soltari filius quondam roberti soltari de Turno et delaidus filius quondam domini guillelmi paganelli de Turno

Ego petrus bonolgellus notarius de Cumis filius Johannis bonolgelli de nouezano hanc cartam tradidi et scripsi.

9

Fr Ioh iudicati p petro [illegible]

p [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible]

[illegible] [illegible]

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1806884895-13/fragment/page=2